



**I**oannes Albertus natus est ex nobili Anvylorum familia Bischoffzellij ad lacum Podmicum, anno circiter 1510. patrem habuit Fridericum Iacobum auratum equitem, atq; eius loci praefectum. Huius admonitione Ioannes Albertus operam literis dedit, atq; prima rudimenta feliciter percepit. Postea quoq; exteras nationes inuisit, atq; plurimarum rerum magnum sibi usum comparauit. Id cum Ernestus marchio Badensis cognouisset, ipsum etiamnum iuuenem inter consiliarios recepit, atque tandem praefectum in Rœtelana ditione constituit. Sita est arx illa milliare unum à Basilea, loco amœno in superiori Marchionatu. Cum autem ibi per

aliquot annos uixisset, atq; ex nobili familia Sturtzelorum Friburgi in Brisgauria uxorem duxisset, socrus hortatu Friburgum petijt, atq; patrem familias prudentem agere coepit. Nec diu eius uirtutes in eo loco latere poterant. Vnde omnium uotis Friburgensis Consul electus est. Eam functionem is magna laude administrauit, & cunctis gratissimus extitit. Cum autem ei similtates quaedam cum Mathia Heldio Caesaris Procancellario essent exortae, ipse ut ius suum commodius exequeretur, Friburgum reliquit, atque Basileam commigrauit, ubi etiam ius ciuitatis adeptus fuit. Id quod eò libētius fecit, cum Euangelij doctrina arrideret, & in eo loco publicè, id quod sentiret, confiteri posset.